

1571

fuisset , decreta Senatus aliqua ex parte immutare se non posse Superantius affirmabat . Inde de æquandis foederatorum impensis actum . Hispani , si Senatus frumenti pretium , ac portoria detineat , sumptus pro Rege eo anno ab se factos excessuros affirmant . Superantius his satis Reipublicæ fieri negat ; præter triremes , ac milites in classem missos , maritima extra ordinem præsidia sarcenda esse . Eam ob rem nova altercatio oborta , contendentibus Hispanis , copiarum tantum , quæ in classe lustratæ fuerant , stipendia inter foederatos partiri oportere ; contra Superantio adnitente , eam militum summam , quæ extra ordinem a Republica aleretur , in quinquaginta millium numero censenda esse . Multis hinc atque inde dictis , tandem Senatus his de rebus a legatis certior factus , negotium omne Pii judicio permittendum sanxit , qui opportuniori tempore de impensis æquandis ex jure , & æquo decerneret . Lætus eo decreto Pontifex , cum jam nihil obsignando foederi amplius obsistere animadverteret , manus gaudio ingenti perfusus ad cælum extulit . Itaque cunctis compositis , tandem decimo quarto kal . junii fœdus his legibus percussum est . Primo Pius Quintus Pontifex Maximus , Cardinalium adsentiente collegio ; Philippus Catholicus Hispaniarum Rex ; Venetaque Respublica perpetuo sociali adversus Turcas , communes christianaæ reipublicæ hostes , fœdere jungenrentur . II. Triremes ducentæ , naves centum , peditum ex Italia , Hispania , ac Germania quinquaginta millia , quater mille ac quingenti equites , idoneus tormentorum numerus , ac rerum bellicarum apparatus tum ad opprimendos hostes , tum ad tuendas foederatorum ditiones , Algerio , Tuneto , Lepti minime exclusis , conferrentur . III. Singulis annis mensa martio , vel ad sumnum aprilii , omnia Hydrunti in promptu , parataque essent , ut statim in orientem trajiceretur , bellumque pro temporum opportunitate , ex ducum sententia administraretur . IV. Autumno de expeditione in proximum annum , de bellico apparatu Romæ foederati per legatos agerent ; deque augendo , minuendove virium numero ex rerum , temporumque conditione decernerent . V. Si sociatis armis , nihil aggredi statueretur , sua cuique privata bella gerere fas esset . Philippo vero bellum Algerio , Tuneto , & Lepti inferenti , ni

Veneti

Fœdus con-
tra Turcas
& ejus pa-
cta.